

piditatem ullus mihi ulciscendi animus  
esset.

Sed absit hoc à me. Magna profecto Gloria  
est à vulgo contemni. Etli enim optabilius  
homini est, cursum vitæ conficere, sine omni  
dolore & sine injuria; tamen ad immortalitatem  
Gloriæ plus confert, casus iniquissimos  
subiisse & improborum injurias, quam nunquam  
fuisse violatum. Quare & in posterum  
sibilent *hydry*, coaxent *ranae*, strepant *anser*  
latrent *canes* & rudant *asini*, convitieris Tu *Bar-  
nere*, ringaris, ipsa tibi ruinpantur *Ilia Mome*;  
nunquam tamen vel tantillum responsi à me  
habebitis. Canite prout, vobis rostrum est, quod  
ego nec mutare possum, nec volo etiam. Ul-  
tionis hoc genus contumeliosissimum est;  
*non esse dignum visum à quo preteretur ultio.*

Quin ne ansa vobis convitiandi desit, adeste  
convitatores, est, quod vobis in aurem. Con-  
signavi am cogitata me a& experimenta, circa  
*actionem medicamentorum in humano corpore*,  
It. circa causas *motuum convulsivorum*, *februm*  
*ardentium*, *sphaceli*, &c. Si ita visum fuerit sum-  
mo rerum Arbitro, elaborata hæc aliquando  
cum amicis ac viris ingenuis aliis communi-  
cabo. Vos, dum hæc ago, quicquid convitio-  
rum, scommatum dicteriorum aliarumve in-  
eptiarum vel comminisci ipsi, vel ex aliis acci-  
pere poteritis, colligite, & in me unum evomi-  
te; Videbitis profecto, me eâ qua par erit ani-  
mi